

ipsi eripere divinitatem, et ab eo tollere, quod non esset Deus, id faceret, et ex superbia sua ita est affectus, quod si posset sibi ipsi divinitatem habere, et nulli subesse, ita vellet, ne scilicet alius ipso excellentior esset. Et hoc est virtualiter velle esse Deum in natura, et secundum æqualitatem, si id non esset impossibile, scilicet in promptitudine, et dispositione animi, quantum est ex vi dispositionis, et affectus quem habent contra Deum ex odio, et complacentiæ circa propriam excellentiam ex superbia. Similiter talis voluntas potest esse formaliter in Angelis, quia ipsi bene cognoscunt illam conditionalem: Si possem esse Deus per naturam, haberem summam excellentiam, nulli subessem, liberarer ab his miseriis, etc. et bene cognoscunt quod hoc est phantasticum, et chimæricum bonum, licet chimærice sibi repræsentari possit, ut valde delectabile, et cogitare quod multa facerent, si haberent omnipotentiam divinam: nam, et nos ista cogitamus, et delectamur (esto otiose) in similibus chimæricis fictionibus, et historiis, licet illa ficta esse cognoscamus, et multa sic chimærica et ficta a dæmonibus nobis proponitur, ut in illis otiemur, sicut multa poetica vana, ut in illis delectemur. Ergo ipsi etiam possunt in similibus chimæricis, et phantasticis vane delectari, ut si possent electos qui sunt in cælo dejicere in infernum, Christum et Beatissimam Virginem occidere, destruere, et conculcare, et inter hæc etiam possunt cogitare se esse sicut Deus in æqualitate, et quid in tali casu facerent: nec enim est major ratio cur in destruendo Deum, et Christum, et electos, quod est omnino chimæricum possint immorari, et non in cogitando, et desiderando se esse Deum, licet inefficaci, et simplici affectu. Et aliqui

docent posse Angelum habere velleitatem de hoc, non voluntatem actualem, et absolutam, id est, voluntatem conditionatam, tam ex parte objecti, quam ex parte actus, quæ explicatur dicendo: Vellem hoc si esset possibile, non quæ explicatur per actum præsentem: Volo hoc, v. g. Volo me esse Deum, si sit possibile, quia licet circa futura possit dari actus absolutus sub conditione tenente se ex parte objecti, non tamen circa possible, eo quod possibilitas, vel impossibilitas non convenit sub conditione, sed absolute ex præcisa terminorum habitudine vel repugnantia. Unde quantumvis ponatur illa conditio, si hoc fuerit possibile nunquam reducitur ad veram possibilitatem, sed semper manet impossibile, et chimæricum illud objectum simpliciter, et absolute, et consequenter sine aliqua convenientia respectu voluntatis, ut possit appeti actu absoluto. Et sic talis conditio: Si hoc esset possibile nihil omnino conducit, sed æquo modo se habet voluntas erga illud objectum impossibile posita illa conditione, vel sine illa.

XXII. Nihilominus in hoc non oportet multum immorari: omittimus enim disputare nunc illam quæstionem quid sit velleitas, et in quo consistat, de quo agendum est 1-2, quæstione sexta, agentes de voluntario ex metu in quo relinquatur velleitas, de opposito ejus, quod ex metu operamur. Et nunc supponimus velleitatem, etiam aliquo actu formali explicari posse, saltem per modum alicujus complacentiæ circa id quod repræsentatur nos facturos, si hoc esset possibile. Unde licet circa impossibile etiam adjecta conditione ex parte objecti non possit dari actus de facto, et absolutus per modum resolutionis, poterit tamen dari per modum simplicis complacentiæ, quia ad hoc non requiritur

ulla conditio possibilitatis, aut convenientia quoad assecutionem rei, sed sufficit apprensus illa, et repræsentata bonitas, ut circa id voluntas delectetur, tamquam circa quoddam bonum apprensus, et conveniens in ratione præcisa boni repræsentati, non boni assequibilis. Et tamen illa conditio adjecta, si esset possibile, juvat, non quidem ut moveatur quis ad assecutionem rei impossibilis: ad hoc enim nihil illa conditio conducit, sed ut magis excitetur animus ad complacendum de re illa sub apprehensione possibilitatis conditionatæ. Velleitas ergo omnino conditionata est ex parte objecti, et ex parte actus, quantum ad ordinem efficaciam, et assecutionis, aut resolutionem animi circa illam, non tamen est conditionatus actus, sed de facto, et formaliter datur quantum ad complacendum, et otium circa illud, sicut quotidie experimur in nobis: similiter ergo potest in dæmonibus dari actus, quo absolute et de facto delectetur de re chimærica, et impossibili, licet sit conditionatus ex parte actus, et objecti quoad resolutionem, et determinationem assequendi, et quoad hoc explicatur per ly vellem, quod non designat actum qui est, sed qui esset.

XXIV. Hæc autem voluntas sic conditionata, et imperfecta et inefficax, de se non habet aversionem vel conversionem in peccato vel merito quantum ad electionem, et determinationem erga aliquem finem vel media, quia non potest vim electionis vel intentionis habere; bene tamen potest habere peccatum otiositatis, et vanitatis, aut disponere ad alia pejora peccata: in dæmonibus autem quia id procedit ex odio Dei, et ad odium Dei disponit, quatenus delectantur, et complacent, quod essent Deus ex odio contra Deum; ideo in eo etiam gra-

vissime peccant, sed aliud supponendo, non primum peccatum statuendo.

Et totum hoc docetur a D. Thoma qui in primis admittit talem voluntatem imperfectam, et inefficacem dari posse de re impossibili, quæ velleitas dicitur, licet non voluntas electiva, et perfecta, seu ad assecutionem tendens, ut patet 1-2, quæst. XIII, art. v ad 1. Deinde vero loquens de dæmonibus quæst. XVI de malo, art. III ad IX dicit, quod: « Voluntas quæ dicitur impossibile non est perfecta voluntas tendens in aliquid consequendum, quia nullus tendit in id quod existimat impossibile, sed est quædam imperfecta voluntas, quæ dicitur velleitas, qua aliquis vellet id quod existimat impossibile, sed sub hac conditione si possibile sit. Talis autem non est voluntas aversionis, et conversionis in qua meritum, et peccatum consistat. » Ubi tota nostra resolutio satis clare traditur a D. Thoma.

XXV. Ex dictis etiam facile soluta manent oppositorum auctorum fundamenta. Quæ reducuntur ad hoc, quod potest aliquis appetere aliquid impossibile, non intendendo ejus consecutionem, sed tantum complacendo, et delectando se in illo, sicut pœnitens vellet habere innocentiam, et non peccasse, quod tamen videt esse impossibile, et multa impossibilia fingimus in quibus delectamur. Item possunt dæmones ex odio Dei velle illum non esse, et quod si posset, destruerent illum, quod non minus impossibile est quam velle se esse Deum: ergo sicut hoc modo appetit sine errore speculativo, ita sine eodem errore potuit ex superbia appetere se esse Deum in primo peccato. Item non obstat quod ad appetendum se esse Deum deberet appetere suum non esse: nam in primis non repugnat quod aliquis appetat non esse ap-

prehendendo illud ut minus malum, quam tolerare alia plurima mala, quibus carere vult, etiam non existendo. Deinde, quia potest quis in his impossibilibus solum appetere illam convenientiam boni imaginati, nihil cogitando de destructione sui esse, sicut homo potest cogitare, et desiderare se esse avem, se esse Angelum, nihil cogitando de destructione sui esse, sed delectando de convenientia illius boni. Et eodem modo potest quis delectari de habenda divinitate.

XXVI. Cæterum ista ex dictis manent solum.

Ad primum dicitur non repugnare quod aliquis cogitet, et simplici affectu delectetur de re impossibili, voluntate quadam imperfecta, ut ex D. Thoma vidimus. Repugnat autem quod hoc assumatur ut finis ultimus, qui est finis cuius gratia; et sic affectu efficaci intenditur. Angelus autem incœpit peccatum suum ab aliquo fine ultimo, ut dictum est, eoque efficaciter desideravit id circa quod primo peccavit.

Ad secundum jam diximus posse ex odio Dei desiderare, et complacere de illis impossibilibus, et similiter posse simplici affectu desiderare se esse Deum, non tamen potuisse id esse motivum primi peccati, quia incipit in Angelo a voluntate finis ultimi, ut diximus, quæ semper efficax est de se.

Ad tertium similiter constat ex dictis, quod ideo non potest appetere se esse Deum, quia appeteret se non esse loquendo de appetitu efficaci, et intento consecutionis, non de appetitu simplicis affectus, et velleitatis. Et quia in primo actu debebat Angelus incipere a fine circa quem non datur solum affectus simplex, sed etiam efficax; ideo bene inferatur non appetuisse Angelum se esse Deum in primo peccato, alias appeteret se non esse, quia ille appeti-

tus debebat esse efficax. Non tamen negamus posse appeti ineffaciter sine hoc quod appetat Angelus se non esse.

QUID DE APPETITU UNIONIS
HYPOSTATICÆ?

XXVII. Circa secundum objectum, scilicet circa unionem hypostaticam, an peccaverit Angelus illam appetendo sibi, et Christo homini invidendo, multi negant, quia Angelus incœpit peccatum suum a fine ultimo, et unio hypostatica neque est finis ultimus supernaturalis quia non est beatitudo, neque naturalis quia ad ordinem naturalem non spectat. Similiter Angelus superbivit circa proprium decorem se elevando, ut dicitur Ezech. xxviii: *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* At non pertinuit unio hypostatica ad perfectionem, et decorem Angeli in quo elevaretur. Nec etiam potuit primum peccatum Angeli esse in recusando subijci homini Christo, aut invidendo illi, quia peccatum invidiæ, aut non subjectionis pertinet ad actum fugæ, non prosecutionis, primum autem peccatum Angeli debuit incipere a prosecutione alicujus finis mali.

Nihilominus res ista incerta est. Sed tamen cum certum sit Angelos in via habuisse notitiam hujus mysterii per fidem, ut ex Augustino S. Thomas docet 2-2, qu. ii, art. vii ad primum, nulla apparet repugnantia quod inter objecta materialia circa quæ eorum superbia in primo peccato se explicuit, unum etiam fuerit unio hypostatica inordinate appetita ipsi naturæ angelicæ, id est, solum ratione excellentiæ propriæ, et quia se digniorem existimavit illo summo honore: hoc enim ad superbiam pertinet, sicut fuit illa superbia magna Aman quando in cor-

de suo reputavit quod nullum alium rex, nisi se vellet honorare, ut dicitur Esther vi; sic diabolus qui omnium superbiorum est caput, existimare potuit quod tantum honorem, qualis est hypostatica unio, non deberet Deus nisi sibi tribuere non infimæ humanæ naturæ, et in hoc maxime superbire. Est enim considerandum quod in superbia, licet formalis ratio, et motivum sit propria excellentia, tamen materia, in qua hoc exercetur multiplex est, et varia, sicut quidam excellentiam quærunt in nobilitate generis, alii in scientia, alii in opibus, alii in gloria, et virtute militari. Et non repugnat quod in his omnibus, vel pluribus aliquis excellentiam quærat, et superbiat. Sic ergo verisimile est in Angelo contigisse, qui quærrens in propria excellentia superbire, etiam cum primo peccavit, potuit ex parte materiæ non solum proprium decorem inordinate appetere, sed etiam unionem hypostaticam sub ratione cujusdam excellentiæ, qua nullum alium nisi se existimavit dignum, et humanæ naturæ sibi longe inferiori talem celsitudinem communicari indignissime tulit. Et licet in seipso, et in decore propria superbierit, tamquam in persona amata, et in fine cui, tamen ex parte rerum quas sibi ut fini, et ut personæ maxime dilectæ voluit, unum potuit esse summa illa excellentia unionis hypostaticæ, æstimans (sicut dicitur de Aman) nullum alium nisi se debere sic honorari a Deo. In hoc ergo nullam invenimus repugnantiam, sed omnino conforme fuisse hoc objectum immanissimæ illi superbiæ; potuitque hoc objectum in primo ipso peccato Angeli inveniri, non per modum finis cui: hic enim fuit ipsemet Angelus, sed per modum rei sibi concupitæ, non adæquate, sed inadæquate inter plura objecta materia-

lia, quæ sibi potuit tunc appetere, et materiam excellentiæ propriæ facere.

XXVIII. An vero ita de facto contigerit? Res, ut dixi, incerta est, nec quidquam temere pronuntiandum. Certe Isaia xiv inter multa quæ Lucifer pro suæ superbiæ materia desideravit, unum fuit, sedere in monte testamenti: *Sedebit, inquit, in monte testamenti, ascendam super altitudinem nubium.* Nomine autem montis testamenti Christum intelligi, satis notum est. Et hoc ad ipsum primum peccatum pertinuisse constat, quia totum illud inquit propheta dixisse Luciferum in corde suo, quando mane oriebatur, id est, in ipso peccandi initio. Similiter Ezechielis xxviii de eodem primo Angelo dicitur: *Eo quod elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum, et in cathedra Dei sedi in corde maris, et dedisti cor tuum quasi cor Dei.* Quæ verba sine ulla violentia sic intelligi possunt, dixisti: Deus ego sum, id est, dignus sum Deus esse personaliter, seu hypostatice, et sedere in cathedra Dei, sicut Christo convenit sedere in sede Dei. Unde hoc ipsum etiam insinuat Bernardus serm. lxxix in Cantica, ubi significat affectasse diabolus sedem Christi: « Sedes, inquit, illi (Christo) a dextris tuis, non sub pedibus. Quomodo audet quis pervadere locum unigeniti tui? Præcipitetur. Ponit sibi sedem in excelso. Subvertatur cathedra pestilentiæ. » Citatur etiam serm. xvii in Cantica; sed ibi id expresse non dicit, sed id quod infra ex ipso referemus.

XXIX. Fundamenta opposita contra hoc nihil convincunt. Fatemur incœpisse Angelum peccare a fine ultimo non bono, sed deordinato; in quo fine includitur finis cui, id est, ipsemet Angelus, et finis qui, id est, res volita sibi tamquam materia

propriæ excellentiæ. Et in hac materia unum ex rebus volitis fuit unio hypostatica, non in quantum adhæsiō ad Deum: sic enim adhærere Deo, etiam in unitate personæ bonum est, sed in quantum excellentia quædam, qua nullum præter se dignum æstimabat. Et sic licet unio hypostatica secundum se non sit finis ultimus, id est, beatitudo sive supernaturalis, sive naturalis, potest tamen inordinate aliquis desiderare illam ut materiam finis ultimi inordinate, id est, ut materiam excellentiæ propriæ inordinate desideratam.

Ad secundum dicimus quod in proprio decore elevatum est cor Angeli tamquam in fine cui, amando se ut personam quam summe diligebat, et quam omni honore dignam iudicabat; et sic ex parte materiæ, et rei volitæ pro excellentia potuit sibi ita pulchro, et decore in æstimatione, velle unionem hypostaticam ut materiam magnæ excellentiæ, qua solum se æstimabat dignum. De peccato invidiæ contra Christum hominem, dicimus illum non posse esse primum peccatum Angeli, sed supponere affectum malum erga finem ultimum, qui præcedere debet in Angelo alia peccata, et motum illum invidiæ, qui pertinet ad fugam, seu abominationem.

Advertendum tamen est hunc appetitum excellentiæ circa unionem hypostaticam non eodem modo in omnibus extitisse, quia non omnes desiderabant sibi personaliter unionem hypostaticam, sed desiderabant fortasse fieri in natura angelica potius, quam in humana; et supremus Angelus desiderabat sibi illam personaliter, quia sedere voluit in monte testamenti, et in cathedra Dei.

XXX. Circa tertium objectum, scilicet circa beatitudinem super-

naturalem, an circa illam exercuerint Angeli peccatum superbiæ, dicimus, etiam in primo peccato Angeli intervenire potuisse superbiam circa supernaturalem beatitudinem recusando, et despiciendo illam, taliter quod virtualiter, et interpretative voluit, non ex Dei gratia eam habere, sed ex propriis viribus, neque ut communem multis, formaliter autem solum voluit eam efficaciter recusare, et in sua naturali felicitate, et pulchritudine quiescere. Unde non debet separari in Angelo recusatio beatitudinis supernaturalis a delectatione quiescendi, et manendi in sua naturali felicitate, sicut homo peccans per appetitum rerum inferiorum, et sensibilibus recusat simul spiritualia, et superiora bona, licet vellet ea habere sine labore, et non carendo fruitione rerum sensibilibus. Sic se habuit in Angelo naturalis pulchritudo, et felicitas unicuique propria, et ex propria excellentia habita, et supernaturalis beatitudo ut communis multis, et ex gratia Dei habita, quod istam recusat, quia communis omnibus, et ex gratia, quæ sunt duæ conditiones valde oppositæ tumori superbo, et primam amplectitur, in eaque requiescit, quia propria, et ex propriis habita.

XXXI. Hanc sententiam puto esse mentem ipsissimam D. Thomæ, et per eam optime explicari quomodo hic intervenerit vera superbia, et non error speculativus, licet practicus non defuerit, quæ est inconsideratio, et imprudentia omnibus peccatis communis. Propter quod pars ista de supernaturali beatitudine difficilis visa est aliquibus auctoribus, et vel negant circa hoc objectum fuisse peccatum superbiæ angelicæ, vel divertunt a sententia D. Thomæ in explicando quod voluerit non ex gratia, sed virtute propria obtinere illam beatitudi-

nem. Nam p. Suarez lib. vii de Angelis, cap. xi, absolute docet, esse impossibilem affectum illum in Angelo circa beatitudinem supernaturalem propriis viribus obtinendam, vel debitam sibi, etiamsi affectus sit simplex, nisi detur aliquis error speculativus in intellectu, quo falso putet possibile esse comparare sibi beatitudinem propriis viribus. Addit tamen ibi num. vii et viii, quod licet Angelus evidenter cognoscat se non posse physice obtinere beatitudinem illam viribus propriis, nec laborasse hæresi, et errore contra fidem circa hoc, tamen non repugnare quod erraverit Angelus, putans, sicut Pelagius, habere ex se meritum de condigno, ut Deus daret sibi beatitudinem. Cui assentit p. Alarcon tract. vi de Angelis, disp. ix, cap. ii, num. ix, licet existimet culpabilem hunc errorem non fuisse primum peccatum in Angelo. Concedit tamen Suarez ibidem a numero xix, potuisse habere Angelum superbiam circa quamdam circumstantiam beatitudinis supernaturalis, desiderans illam citius sibi dari, quam a Deo decretum fuerat, et indigne ferens non statim sibi concedi. Quod ego non credo, quia si Angelus cernebat se non posse habere gloriam nisi per meritum, non potuit brevius meritum desiderare quam per unicum instans continuatione facta post creationem, quo posito statim et daretur beatitudo. Alii, ut Vasquez, disp. cxxxv, cap. iii, recurrunt ad effectum simplicem, et inefficacem circa beatitudinem, volendo, et complacendo sibi de consecutione illius ex propria virtute, et sine meritis, de quo affectu interpretatur S. Thomæ in hoc articulo tertio, quæst. lxiii, dum dicit: « Voluisse Angelum beatitudinem illam habere ex virtute sua, non ex divino auxilio. » Et sententiam Suarez sequuntur Molina ad

articulos ii et iii hujus quæstionis lxiii, membr. v; Becanus lib. iii de Angelis, cap. iv, quæst. vii. Sententiam autem Vasquez sequitur Arubal disp. clxxviii, cap. iii et iv, Alarcon supra citatus et alii.

XXXII. Cæterum ut sententia D. Thomæ quæ verissima est, quamque sequuntur communiter discipuli ejus, explicetur, notandum est quod circa beatitudinem supernaturalem, quæ est ultimus finis, dupliciter potuit inordinata superbia Angeli considerari.

Primo, volendo eam positive, sive appetitu efficaci, sive inefficaci habere ex propriis meritis sine Dei auxilio.

Secundo, volendo eam efficaciter recusare cum illis conditionibus quibus a Deo proposita fuit, scilicet ut communis tam Angelis, quam hominibus, et ut habenda ex gratia, et beneficio speciali Dei atque auxilio ejus, non ex meritis propriis, aut debito aliquo connaturali. Istæ enim duæ conditiones vehementer opponuntur singularitati, et superbiæ, qua ille spiritus volebat singularitatem, et appetebat excellentiam. Unde potuit beatitudinem supernaturalem ut propositam sub his conditionibus efficaciter recusare; et sic recusando superbire, tacite insinuando quod sine istis conditionibus eam libenter amplecteretur, quod est virtualiter velle habere beatitudinem propriis viribus, seu non ex gratia Dei, quatenus recusans habere illam ex gratia, et ut communem hominibus, tacite, et virtualiter non recusaret illam sine prædictis conditionibus, quod multoties constat contingere inter homines, qui renuunt acceptare aliquam dignitatem, vel munus cum tali onere vel pensione, quam iudicat se indignam, quam tamen sine illo onere acceptarent, et interim ex propriæ excellentiæ æstimatione